

# EPISTULA LEONINA

## CLII

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM SECUNDAM (152) !**

## **ARGUMENTA**

### **EX ORIENTE LUX (II) –**

#### **Quid sentiant Europaei orientales de crisi profugorum**

1. Vaclav Klaus praeses quondam Tsechiae.....	04 - 06
2. Richard Sulik Slovacus legatus Unionis Europaeaee.....	07 - 09
3. Alexandra Rybinska Polona diurnaria.....	10 - 11

### **5. ECHUS VOCES**

5.1 Hannes Demming: De pistoriâ voluptate migrandi.....	12-13
5.2 Hannes Demming: Chronogramma in Epistulam Leoninam CL.....	14
5.3. József Kovács: De statu Hungariae.....	15-16
5.4 N.N.: De Orbani »democratiâ illiberali«.....	17
5.5. Fidelis Rädle: De Epistulae Leoninae nimiâ abundantia .....	17
5.6 Ioannes Teresi: Bibulis vinis (carmen).....	18-19

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Cara Lector,***

*maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam quinquagesimam secundam. – Iterum agitur de nationibus Europae orientalibus; haud inutile mihi esse videtur, quid de profugis (quales adhuc dicuntur) recipiendis dicunt Tsechi et Slovaci et Poloni. Audiatur et altera pars! - Addidi nonnulla a lectoribus scripta; inter quos eminet Hannes Demming qui canticum populare Latinē reddidit necnon chronogramma composuit in Epistulam Leoninam Centesimam Quinquagesimam. Plaudite!*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 152 tolle et lege et laetare et ... fideliter pergas legere Epistulas meas!*

Medullitus Te salutat  
**Nicolaus Groß**  
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**Die Dominicâ, 04. m.Febr. a.2018**

## EX ORIENTE LUX (II)



# MERKELIAM EUROPÆ BENEVOLENTEM INFERRE DAMNUM<sup>1</sup>



Václav Klaus, qui hunc textum scripsit, ab a.2003 usque ad a.2013 fuit praeses Tsechiae

---

<sup>1</sup> orig. MERKEL ERWEIST EUROPA EINEN BÄRENDIENST.

<https://www.welt.de/debatte/kommentare/article146615320/Merkel-erweist-Europa-einen-Baerendienst.html>

## Merkeliam benevolentem Europae inferre damnum

*Haec symbola, quam scripsit Václav Klaus, publicata est d.20. m.Sept. a.2015*

**Quantus error: Germani credunt migratores integrari posse sine ulla difficultate. Qui stupefient – necnon Unionem Europaeam adducent in magnas difficultates.**

Disputatio, quae ferê totâ in Europâ, sed praesertim in Germaniâ nunc fit de *admigratione massali*<sup>1</sup> (i.e. collecticiâ, non individuali) et cuius fundamenta ponuntur in notione *profugi*<sup>2</sup>, pro eo, ut ponantur in *migratoris*, ut potius dicam, *migratoris oeconomici*<sup>3</sup>, est parum sincera hominesque inducit in errorem necnon propter *politicanam* suam *rectitudinem* exaggeratam est quodammodo suicidialis<sup>4</sup>.

Scientiae sociales nos docent (qui hôc in casu – quod raro fit – consentiunt cum sanâ mente humanâ) nullam societatem expeditê et efficaciter et necessariâ cum stabilitate posse operari, nisi eadem intrinsecus cohaereat. Oeconomi in hac re loquuntur de *capitali humano atque sociali*, sine quo non fiat res publica valida atque efficax.

Controversiâ, quae hodie fit de *admigratione*, hae res verae et fundamentales ignorantur. Ideologi ideologiâ multiculturalismi nebulosâ caligantes<sup>5</sup> putant huic rei difficultatem inesse nullam. Qui credunt fieri posse, ut societates singularum civitatum Europae sine ullâ difficultate „suppleantur“ migratoribus.

## Admigrationem adhiberi tamquam maltham, quâ Europa condensetur<sup>6</sup>

Itaque vix mirum est hos viros politicos nequaquam operam dare, ut undam migratoriā praezentem sistant. Qui nihil student nisi illam

<sup>1</sup> \*admiratiō massālis, orig. *massenhafte Zuwanderung*. cfr PLAUT.Persa 347 si ad paupertatem admigrant infamiae. -

<sup>2</sup> profugus, -ī m., orig. *Flüchtlings*.

<sup>3</sup> migrātor oeconomicus, orig. *ökonomisch motivierter Migrant*. cfr migrator, -oris m. Georges, Lateinisch-deutsches Handwörterbuch, 14.ed., Darmstadt 1976, tom.II, col.916: „migrātor, -ōris m. (migro) = μετανάστης, der Auswanderer, Ansiedler, GLOSS.II, 369, 21“

<sup>4</sup> propter *politicanam* suam *rectitudinem* exaggeratam est quodammodo suicidialis. orig. *durch ihre übertriebene political correctness sogar geradezu selbstmörderisch*. \*suicidiālis, -e cfr homicidalis.

<sup>5</sup> Ideologi ideologiâ multiculturalismi nebulosâ caligantes. orig. *Die von der Ideologie des Multikulturalismus beseelten Ideologen*.

<sup>6</sup> orig. *Migranten als Kittmittel für Europa*.

quoquo modo perferunt – sive pecuniâ dandâ, sive salutatione affabili sive receptaculis praebendis sive, idque maximê, meliore victu promittendo.

Quare hoc fit? Hoc loco verba afferam collegae mei *Jiri Weigl*, talem „rationem politicam salutandi“ eo ipso fine fieri, ut cohaerentia societatum Europae, quae nunc exstent, efficaciter destruatur. Nam isti politici „novam“ suam „Europam“ construere non poterunt nisi in illarum parietinis naufragiisque – scilicet sine nobis, qui simus contenti Europa, quae nunc exstat. *Weigl* enim sentit constructores novae Europae id studere, ut e migratoribus fierent primi „consortes nationis europaea somniando effectae“.

Migratores cum nullo modo coniuncti essent cum aliquâ civitatum Europae praesentium, multo simplicius semet ipsos posse habere pro consortibus novae Europae multiculturalistiae. Admigrationem adhiberi tamquam maltham, quâ Europa condensetur.

### **Error Germanorum fatalis**

Alia autem causa, qua multi politici europaei, praesertim germani sic se gerant, nescio an sit quaedam simplicitas animi, qua illi credant admigrationem massalem per breve quidem tempus habituram esse quosdam effectus iniucundos, sed per longius tempus evasuram esse in nullas res nisi bonas et fructuosas. Iste enim est error fatalis.

**HAEC SYMBOLA, QUAM SCRIPSIT**

**VACLAV KLAUS**

**PRAESES QUONDAM TSECHIAE,**

**D.20. M.SEPT. A .2015 PUBLICATA EST**

**IN EPHEMERIDE GERMANICA,**

**C.T. WELT.**

<https://www.unzensuriert.at/content/0019841-EU-Abgeordneter-Sulik-zu-Fluechtlingen-Warum-sollen-wir-uns-die-Probleme-ins-Land>

## **Richardus Sulik legatus Unionis Europaeae Slovacus de profugis recipiendis: »Quid est causae, cur problemata inferamus terrae nostrae?«**



*Richardus Sulik Slovacus legatus Unionis Europaeae Angelam Merkel vituperat, quod ignorare videtur Unionem Europaeam in re profugorum politicâ inhabilem esse ad agendum. d.25. m.Jan. a.2016 – h.17:34*

Richardus Sulik Slovacus legatus Unionis Europaeae a relatore stationis radiophonicae *Deutschlandfunk* de re profugorum politicâ interrogatus: »Omnes« inquit »hoc vident, praeter Dominam Merkel.« *Richardus Sulik* Unionem Europaeam putat esse »inhabilem« - et *Angelae Merkel* cancellariae foederali obicit, quod hoc non respiciat. Idem non vult permittere, ut terra sua propria ineatur a migratoribus. Synthēma<sup>1</sup> partis suae politicae, quod est "Libertas et solidaritas", non valere nisi ad cives Slovacos.

### **Socialistas nelle muslimos**

Cum gubernatio Austriae foederalis in rebus profugorum politicis haesitet incerta, quidnam faciat dicative, hic politicus Slovacus loquitur clare atque aperte: Post noctem illam Colonensem, qua mulieres violenter subigitatae essent, praevideri posse, quid accidat. Richardus

---

<sup>1</sup> synthēma, -atis n. *Motto*.

Sulik quaerit, quidnam causae esse, cur Slovaci terrae suae inferant talia problemata? Aliter ac partem gubernationis politicam sociali-democraticam, quae – sane mirum! – annuntiavisset se nullos iam profugos muslimicos Slovaciam inire permissuram esse, suam partem synthemate Libertatis et solidaritatis denominatam omnes migratores recusare, „sive muslimos sive alios“.

### **Gubernatio partis sinistrae populistica**

Richardus Sulik a relatore stationis *Deutschlandfunk* interrogatus, cur Slovacia in rebus profugorum politicis diiudicaret tam acriter, dixit haec:

*Vide apud nos post sex septimanas factum iri electiones parlamenti, et gubernationem socialisticam esse satis populisticam. Quod annuntiaverunt de muslimis, iam paululo est plus quam originaliter sibi proposuerant.*

Deinde relator ipsius *Deutschlandfunk*: *Tuane pars politica recipere muslimos?* Richardus autem respondit haec:

*Non, nos migratores recusamus. Evidem non curo, utrum iidem sint muslimi necne. Nos recusamus migratores variis de causis, nec nobis necessarium est distinguere muslimos a non-muslimis.*

Mirum quoque est, quod Richardus dicit de pecuniis Unionis Europaea et de spatio Schengeniano. Idem enim sentit Slovaciae abstinere posse a miliardis Bruxellensibus accipiendis. Pecuniis Unionis Europaea accipiendis cum facta esset „ingens corruptio ingensque deformatio“, in fine Slovacos lucrum habere fere nullum. Sine subventionibus Unionis Europaea futurum fuisse, ut Slovacia non multo pauperior esset, sed "non essemus ollae Bruxellensi obnoxii".

### **Blateratio Bruxellensis**

Diurnaria autem ipsius *Deutschlandfunk* scire vult, nonne hac sententia Sulikiana vehementer impediatur, ne Europa coalescat. Tum Richardus: „Istaec nihil est nisi blateratio Bruxellensis. Non necessaria est pecunia, ut nationes coalescant. Mercatus communis praevalet. Qui non directe constat pecuniâ, sed oportet fiant

conventiones et foedera," Sic sentit legatus Unionis Europaeae, qui finem quoque spatii Schengeniani non timeat:

*Si condicionem consideraveris, quae valuit ante viginti aut triginta annos, videbis illo iam tempore fuisse mercatum internum, neque eundem fuisse valde malum, sed nondum fuisse Conventum Schengenianum (de limitum custodia abolenda). Unum et aliud non directe inter se cohaerent. Bonum quidem est exstare Conventum Schengenianum, sed hodie Conventum Schengenianum partim est sublatum: Suetia, Dania, Austria, Italia – hae terrae sic quoque non iam vere insunt spatio Schengeniano, quia eaedem limites custodiunt. Et pergent hoc facere.*

**HOC COLLOQUIUM, QUOD RELATOR  
STATIONIS RADIOPHONICAE  
«DEUTSCHLANDFUNK»  
FECIT CUM RICHARDO SULIK  
SLOVACO LEGATO UNIONIS EUROPAEAE  
D.25. M. IAN. A .2016 PUBLICATA EST  
IN  
AUSTRIACA EPHEMERIDE RETIALI,  
C.T. UNZENSURIERT**

# **Alexandra Rybinska Polona**

## **diurnaria Germaniae moderatrici televisificae explicat, quomodo operetur democratia**

<https://www.youtube.com/watch?v=ZaZKsPwVYYU>



Alexandra Rybinska Polona diurnaria explicat gubernationi Polonicae respiciendam esse sententiam Polonorum, ut iterum eligatur.

## **DE PROFUGIS (quales adhuc officialiter dicuntur) IN EUROPA DISTRIBUENDIS QUID SENTIANT POLONI**

**Moderatrix:** ... Quidnam fieret de Polonia? Potestne fieri, ut Polonia dicat: ,Bene, si ita est, nos quoque aliquot (sc. profugos) recipiamus', si quidem valeret ratio voluntaria?"

**Rybinska:** Populus Polonorum istam rem valde recusat. Poloni nolunt recipere profugos. Quod etiam saepe explicui in colloquiis cum diurnariis in Germaniâ habitis. Quod quadamtenus sequitur rationem

logicam ex eventu suffragiorum, i.e., gubernatio, quae aliquid facit, quod voluntati populi est contrarium, non iterum eligitur.

**Moderatrix:** At tamen vultis accipere pecunias a Bruxellensibus solutas?

**Rybinska:** En argumentum illud pecuniae Bruxellis solutae. At si calculationes reverâ consideraveris, intelleges nos, cum mercatum nostrum aperuerimus etiam pro negotiationibus germanis, necnon simus earum allatores, ita ut ex omni eurone, quem nos accipimus, undenonaginta centia reveniunt in Germaniam. Unio Europaea non operatur secundum illud argumentum. Ergo non fit distributio pecuniae secundum synthema q.e. ,Vos hoc accipitis' et causa est finita.

**Moderatrix:** Tamen concedis nationem tuam Unionis Europaeae cum particeps sit, emolumentum accipere?

**Rybinska:** Scilicet. Omnes Unionis Europaeae participes accipiunt quoddam emolumentum. At tamen non licet voluntatem hominum negligere. Audi, quid responderint Poloni de profugis interrogati: Si generaliter agitur de profugis recipiendis, dimidia ferê pars Polonorum assentitur. At si quaeritur, num recipiendi sint profugi fidei muslimicae, septuagenae centesimae (70%) hoc recusant. Hoc quoque est respiciendum. Itaque e.g. pars politica, quae appellatur *Kukiz* (polonicê *Ruch Kukiza*) eo assequitur, ut homines sibi assentiantur *referendum* postulanti, quod in dubium vocat credibilitatem gubernationis polonicae. Haec enim pars politica dicit: ,Illi (gubernantes) dicunt a se non receptum iri profugos. At nos illis non credimus. Faciamus referendum, quo illi cogantur, ut hanc rationem politicam, quam promiserunt, in fine reverâ adducant ad effectum. Haec res non est tam simplex...

**His verbis ALEXANDRA RYBINSKA Polona diurnaria  
Germanae moderatrici televisificae explicat,  
quomodo operetur democratia**

<https://www.youtube.com/watch?v=ZaZKsPwVYYU>

## ECHUS ET EPISTULAE

**Hannes Demming Leoni Latino s. d.**

s. v. b. e. e. v.

deliberanti mihi hodie, quomodo epistula Leonina centesima quinquagesima accepta gaudium meum exprimere tibi possim, in mentem venit me saeculo vicesimo aliquando discipulis meis Germanicum de voluptate migrandi cantum Latine reddidisse, quem tunc maxima voce cantaverunt.

en hic habes quattuor illius cantus strophas. quas ne repudies quaeso.

una cum mea pro tot excellentibus epistulis Leoninis laudatione tibi mitto chronogramma anni currentis, quod ne animo nimis critico legas exopto.

fac ut valeas!

multis cum salutationibus Guestphalicis Ioannes histrio

datum Monasterii a. d. XI. Kal. Febr.

## **de pistoria voluptate migrandi**

*(Das Wandern ist des Müllers Lust...)*

(cantus Germanicus popularis Latine redditus  
modulis bene notis fortiter cantandus)

1. pistori praebet gaudia,  
pistori praebet gaudia migrare.  
est dubium an pistor sit,  
quisquis repudiaverit  
per silvas, campos, vineas migrare.
2. ab aqua nos didicimus,  
ab aqua nos didicimus migrare.  
quae non quiescit, quae non stat,  
migrandi cui nusquam sat.  
quam imitemur! volumus migrare.
3. et amant saxa, lapides,  
et amant saxa, lapides migrare.  
ruendo vel celerius  
quam Lupia noster fluvius  
moventur. numquam desinunt migrare.
4. sodales, heia incipite,  
sodales, heia incipite migrare!  
ad finem usque nostrum sit  
– quo nos laturum sit quis scit? –  
per vitam cum laetitia migrare!

***Hannes Demming f.***

**CHRONOGRAMMA  
IN EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM  
SCRIPTUM**

**TIBI**

**LEONI LATINO**

**INGENIOSO EXPERTOQUE PRAECEPTORI**

**QVI CENTVM QVINQVAGINTA**

**EPISTVLIS LEONIS**

**NOS DONAVISTI**

**GRATIA & GRATVATIO**

***Hannes Demming f.***

## József Kovács

Mon, 29 Jan 2018 16:19:13 +0100

HONORATISSIME DOMINE GROSS,

UT SEMPER LEGI EPISTULAM SUPREMAM MAGNA CUM ANIMI VOLUPTATE. NOLO IN PUSILLIS OCCUPATUS VIDERI, CUM DICO PAGINÁ XVIII - '*...ANNO 1878 LIBRO HUNGARORUM FATALI....'* - ANNUM FALSUM ESSE. RECTE EST 1848, CUM PUGNA NOSTRA PRO LIBERTATE SUSCEPTA INITIUM CEPIT.

VALEAS QUAM OPTIME

IOSEPHUS FABER

Optime Domine,

nonnullas cogitationes in responsio ad litteras Tuas communicare conor.

Lapsus magni momenti ex stultia ortus est, quem potestates, que victores bello mundano primo discesserunt, commiserunt.

Victores se gesserunt sicut Brennus ille Gallus Roma capta egerat.

Suae privatae utilitati servientes, quorum oculi non longe conspectum ferunt, ut vi operta et symbolica utar, patriam i. e Europam ad exitium vocavere, sicut exemplum Germaniae docuit, quo semen malorum omnium nazimi bellique mundani proximi severunt.

Non aliter se gesserunt sortem acerbam fatumque Imperii Austro-Hungarici disceptantes et definite decernentes.

Imperium singulare, quod Monarchia Austro-Hungarica dicitur, quamquam simultatibus domesticis afflictum et recentiorum temporum condicionibus accomodatione egens totum quiddam oeconomicum cultumque humanum civilemque communem valuit. Rebus oeconomicis destructis et moribus, legibus et ingenio sincero integroque non iam servatis dissensiones atque inimicitiae inter civitates novas et artifice creatas supra modum existerunt. Quam *fortuna tota* nobis relicta magnam vim habet his diebus quoque disceptatio illa. Consociatio Europaea putabatur bonam spem pacis et concordiae praebere, ut hymnus eius verbaque magnifica Schilleriana id consilium exprimunt.

Timeo ne spes ad irritum redacta sit. Post exitum Brittaniae tessera insignis coniuncti Austriae et Hungariae i.e *indivisibiliter ac inseparabiliter* in Consociatione Europaea ipsa non iam valet.

Eo tempore voluntate propositoque Praesidis Wilson haud neglectando neglecto omnibusque rebus sanis omissis suspiciones stultae, que plerumque ab hominibus rerum civilium peritis - vel potius *imperitis* - utilitatis suae causá inter gentes novarum civitatum foventur.

Miror offensione viros rerum civilium peritos, qui multum auctoritate et potentia valent et negotio ingenio exercere dicuntur, de *virtutibus Europaeis* praedicare, dum *virtutes illae* vix vigent, saltem varie vel omnino non definiuntur.

Aestimatio contraria, quae valet et viget, ad gentium populorumque universorum mutationem sedium pertinens statum Europae moribundae bene illustrat.

Egomet spem et fiduciam habeo erga conatus virorum talium qui nunc e.g. in Austria et in Hungaria munere funguntur. Confido iis officium diligenter administrantibus. Spero a fiducia non decepturum esse.

Ceterum Primus Administratorum Hungarus non solum verbis sed etiam factis nihil dubii reliquentibus se praebuit in longum consulere quod spectat futura Hungariae in Europa quadam fundamento firmo cuiusdam cultus civilis communis a maioribus antiquitus traditi aedificata, quae rebus externis non exoptatis se arcere potest, ne opus commune dilabetur.

Miror me forte lumina oculorum amississe vel mente captum esse nuntiationes longe lateque in partibus Occidentalibus de rebus Hungariae legentem. Forsitan non hac in civitate vitam degam...

Licentiam mihi adsumo cogitationem ineptam et *mirum inventum serum dicteriaque* Tibi dicam.

Iosephus, eo nomine secundus, imperator Austriae et Sacri Imperii Romani Nationis Germanicae et rex Hungariae bona sed cassa voluntate et contentionibus inanibus conatus linguam Theodiscam ut linguam unam et publicam in regnis et provinciis omnibus instituere eventum nullum sed hostes infensos sibi adeptus est.

Diaeta Hungariae, i.e Conventus Nationis, etiam bona sed inconsiderata voluntate anno MDCCCXLIV linguam Latinam quam linguam publicam Regni abhinc saeculis multis vigentem sustulit et linguam Hungaricam quam linguam unicam publicam instituit.

Vicem illius quanto utilius fuisse pro ratione commoda et consencionem concordiamque inter gentes Regni tuendi linguas diversas gentium florere sinere et eodem tempore, saltem in Hungaria, non solum pro hominibus eruditione ornatis, qui plerumque numero nobilitatis relati sunt, sed etiam pro multitudine hominum institutione publica efficaciter et fortiter haud inter paucos lingua illa, quae nemini lingua paterna fuit, docta esset.

Iuvat me somnia fingere quantulacumque ea essent.

Valeas quam optime !

Iosephus Faber

PS.: Indulgentiam Te rogo pro erroribus haud dubie multis. Sum qui studia linguae Latinae ad voluptatem tantum exercet !

2018-01-29 19:21 GMT+01:00 SPQR <[SPQR@leolatinus.com](mailto:SPQR@leolatinus.com)>:

Care Iosephe,

summas gratias tibi ago pro correctura, quam proxima in epistula publicabo.  
Sed quid sentis de Victore Orbano deque Sebastiano Kurzio?

Nonne nova monarchia Danubiana (Austriaco-Hungarica) est exspectanda?

Vale semper, mi Hungare spectatissime!  
Medullitus te salutat

LEO LATINUS

### **EPISTULA ACULEATA**

### **DE ORBANI „DEMOCRATIA ILLIBERALI“ SCRIPTA**

Die Solis, d.28. m.Ian. a.2018, h.18:56:13

Lieber Herr Dr. Groß, bitte nehmen Sie mich aus dem Verteiler.

Ich mag nichts von einem Menschen lesen, der sich dazu bekennt, die Freiheit aus einem europäischen Staat zu beseitigen, und der dies noch mit dem Euphemismus "Illiberale Demokratie" bezeichnet. Ich verabscheue diese Tendenzen, die sich von Polen über Ungarn bis in die Türkei zeigen, zutiefst. Egal, was man über die Richtigkeit oder die Fehlerhaftigkeit des deutschen Umgangs mit den Flüchtlingen denken mag. Freundliche Grüße N.N.

### **QUIDAM LECTOR OCCUPATIOR EST, QUAM UT LEGAT EPISTULAS LEONINAS**

Mon, 15 Jan 2018 12:14:34 +0000

Leoni Latino salutem dicit plurimam Fidelis Raedle. Gratias tibi ago quam maximas pro epistolis tam benigne oblatis, sed quia mihi tantis laboribus obruto tempus non est, ut tot textus perlegam, te precor, ne epistulas tuas ad me mittere pergas. Vale! Tuus Fidelis Rädle

**d. Veneris, 26 m.Ian. a.2018 h.16:46:26**

**Exornatissime ac doctissime Director,**

quaerere mea de "**Bibulis vinis**" Cantum XIII - Codex Latinus  
Monacensis Vobis subicere volo.

Gratus sum Vobis pro pulcherrimo libello confecto in quo sunt scripta mirabilia.

Salutem Vobis dico,

***Johannes Teresi***

***Bibulis vinis***

*In taberna quando sumus,  
non curamus quid sit humus,  
sed ad ludum properamus,  
cui semper insudamus.*

*Quid agatur in taberna  
ubi nummus est pincerna,  
hoc est opus ut quæratur;  
si quid loquar, audiatur.*

Quidam ludunt, quidam bibunt,  
quidam indiscrete vivunt.  
Sed in ludo qui morantur,  
ex his quidam denudantur,  
quidam ibi vestiuntur,  
quidam saccis induuntur;  
ibi nullus timet mortem,  
sed pro Baccho mittunt sortem.

Primo pro nummata vini;  
ex hac bibunt libertini;  
semel bibunt pro captivis,  
post hæc bibunt ter pro vivis,  
quater pro Christianis cunctis,  
quinquies pro fidelibus defunctis,  
sexies pro sororibus vanis,  
septies pro militibus silvanis.

octies pro fratribus perversis,  
 nonies pro monachis dispersis,  
 decies pro navigantibus,  
 undecies pro discordantibus,  
 duodecies pro pænitentibus,  
 tredecies pro iter agentibus.

Tam pro papa quam pro rege  
 bibunt omnes sine lege.

Bibit hera, bibit herus,  
 bibit miles, bibit clerus,  
 bibit ille, bibit illa,  
 bibit servus cum ancilla,  
 bibit velox, bibit piger,  
 bibit albus, bibit niger,  
 bibit constans, bibit vagus,  
 bibit rudis, bibit magus,  
 Bibit pauper et ægrotus,  
 bibit exul et ignotus,  
 bibit puer, bibit canus,  
 bibit præsul et decanus,  
 bibit soror, bibit frater,  
 bibit anus, bibit mater,  
 bibit ista, bibit ille,  
 bibunt centum, bibunt mille.

Parum sescentæ nummatæ  
 durant cum immoderate  
 bibunt omnes sine meta,  
 quamvis bibant mente læta;  
 sic nos rodunt omnes gentes,  
 et sic erimus egentes.  
 qui nos rodunt confundantur  
 et cum iustis non scribantur!

**Cantum XIII - Codex Latinus Monacensis (Monaci, in Abbatia  
 Benediktbeuren)**

**Invenit Johannis Teresi**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |                                                                   |         |
|-------------------------------------------------------------------|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	--	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM SECUNDAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Dominicâ, 04. m. Febr. a. 2018**

**Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**

